



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Scala Jacob**

**Lindeborn, Jan**

**Antverpiæ, 1666**

§. 3. De Regula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

cunq; albæ sint si carbones contrectant ab illis coinquinantur, & quantumvis viridia sint ligna si multo tempore sunt in igne, aliquando tandem inflamman-  
 tur. Pudeat revera eâ D. Hieronymi sententiâ nota-  
 „ri, quam suæ ad Rusticum Epistolæ inferuit: „Vi- *Epist. 4.*  
 „deas nonnullos... à mulieribus non posse discede-  
 „re, sub eodem manere tecto, simul inire convivia,  
 „ancillas juvenes habere in ministerio, & præter vo-  
 „cabulum nuptiarum omnia esse matrimonii. Si piæ in-  
 „structionis causam prætendas, idem ille subsannat te: *Epist. 12.*

*Magister egregius contemnit Viros, despicit Fratres,  
 & in unius mulierculæ secretâ eruditione desudat.*

## §. III.

## De Regula.

CUM Templum Hierosolymis exstrueret Salo-  
 mon totam fabricam *ad regulam* factam referunt *3 Reg. 6:*  
 sacri Annales. Virgo quæ in animæ suæ Solyma con- *35.*  
 struet Templum spirituale, in quo commoretur Do-  
 minus, ubi divinam Legem asservet, ubi resonet pia-  
 rum aspirationum Cantica, ubi voluntatis suæ holo-  
 caustum & bonorum operum Sacrificia jugiter im-  
 molet, cujus Ædituum & Antistitem Pudicitiam  
 „Tertullianus statuit, quæ nihi immundum nec *De Cultu*  
 „prophanum inferri sinat, ne Deusille, qui inhabi- *Fœm nar*  
 tat, inquinatam sedem offensus derelinquat. Ea  
 Salomonem imitetur: Regulam, quæ actiones suas  
 dirigat, habeat necesse est: hanc ei, qui ex D. Am- *L. 3. de*  
 brofio Virgines honore provocat, magisterio docet, in- *Vrg.*  
 vitat exemplo. Præscripsit Apostolus: *Mulier in- 1 Cor. 7:34*  
 nupta

*nupta & Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu.* Hæc norma magni illius Legislatoris, cujus Regula Superioris tui non additamentum sed interpretem agit. Hæc Virginum gloria præ Religiosis omnibus, Status sui Initiatorem ipsum Dei Filium immediatè agnoscere: *Satis est ista nobilitas Familiæ Virginali*, inquit D. Ambrosius: ab Apostolo Leges & Constitutiones suas accepisse: *Mulier innupta & Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu*: habent hîc, quis finis Status Virginalis quo is amplectendus, animæ scil. & corporis sanctitas, id est interior & exterior, unde D. Ambrosius: *Non est Virginitas quæ pretio emitur, non virtutis studio possidetur.* Habent hîc ad quæ exercitia constringantur, ea scil. quæ animum Deo affigant, quæque eam sanctitatem proferant & foveant, *Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu*: ea verò illis determinant Superioris sui Statuta. Cessent itaque eorum calumniæ, qui Virginum Institutum & Regulam **Willehes Ordre en Sinnehes Regel** convitiantur, & ut eæ evanescant efficias tu Virgo sollicitâ Regulæ tuæ & accuratâ observantiâ. Sanctum Virginum propositum & cœlestis Angelorumque Familiæ gloriam, (scribit D. Hier.) quærumdam non benè se agentium nomen infamat: nonnullæ separata & absque arbitris quærunt hospitia ut vivant licentiùs, utantur balneis, *faciant quod volunt*, & devitant conscientias plurimarum. Earum numero ne te accenseas. „Væ Virgini, quæ non subest Regulæ, (comminatur magnus Athanasius) est enim tanquam navis gubernatore destituta: rupto siquidem cacumine mali jactatur, à flu-

L. de In-  
 stit. Virg.  
 6. 17.

L. 5. Epist.  
 31.

Epist. 7.  
 ad Deme-  
 triad.

L. de Vir-  
 ginit.

„ à fluctibus horsum illorum, quum ducem non  
 „ habeat, donec offendat in scopulos & statim pereat:  
 „ ita est omnis Virgo quæ non habet quem vereatur.  
 „ Contra beata est Virgo quæ sub Regula est: est  
 „ enim tanquam vitis fœcunda in horto ad quam  
 „ veniens cultor ejus palmites ipsius putat, illamque,  
 „ & irrigat, & putridas herbas circumcirca evellit:  
 „ illa autem nacta Operarium fructum suum reddit  
 „ pretiosum in tempore oportuno. Quo quid vis  
 „ amplius pro Obedientia quam superiori §. commen-  
 „ davi? & pro Regulæ observantiâ quam hîc urgeo,  
 „ quæ veluti in speculo tibi exhibeat quicquid officii  
 „ tui, quisque sit sensus & voluntas tui Directoris, cui  
 „ submissionem debes humilem ac promptam.

Affectas itaque indissolubilem cum Deo copulam?  
 perfectam animæ ac corporis sanctitatem? Regulæ  
 tuæ Statuta serves & sequaris: habet enim quælibet  
 Ars præcepta & Regulas suas, eas habet Grammatica,  
 Rhetorica, Dialectica, &c. quas sequatur oportet,  
 qui eam ediscere, quique in ea perfici anhelat: habet  
 etiam eadem Status Virginalis, revera Ars quædam  
 excellentissima, quæ doceat unionem cum Deo Vir-  
 ginum Sponso, virtutumque Exercitia, è quibus re-  
 sultet vera animæ sanctitas; vis in ea perfici? hanc  
 desideras? alliga te Regulæ tuæ: non eam hîc inter-  
 sero quia omnium manibus teri suppono.

Sed quia nulla tam generalis, quin exceptionem  
 patiatur, eandem & hæc admittet, idque triplici in  
 casu, quem P. Hermannus Busenbaum in suo inter c. 16. §. 10.  
 Spinus Lilio recenset.

PRIMUS est, si id requirat bonum Proximi:  
 „ Pro nulla re mundi, & pro nullius hominis dile-  
 ctione

*L. 1. Imit. c. 15. n. 1.* Et tunc aliquod malum est faciendum, (scribit Kem-  
 pæus) sed pro utilitate tamen indigentis opus bo-  
 num liberè quandoque intermittendum est, aut  
 etiam pro meliori mutandum: hoc enim factò opus  
 bonum non destruitur, sed in melius commutatur.  
 „ Si aliquid eorum, quæ tibi decerno, contingat  
 omittere, (Fremiotæ Filix suæ spirituali suggestor  
 Sanctus Gebennensis Antistes) ne propterea in  
 scrupulum incidas: cæterùm oportet omnia te ex  
 amore facere & nihil vi: plùs amanda est obedientia  
 quàm timenda inobedientia. Volo te spiritum  
 habere libertatis, non illius quæ obedientiam ex-  
 cludit, libertas enim carnis ea est, sed illius qui  
 vim, scrupulum & negotiositatem proscribit: cum  
 aliqua sese offeret justitiæ & charitatis occasio, ut  
 exercitia tua intermittas, volo id obedientiæ spe-  
 ciem esse & defectum hunc ab amore suppleri. Vo-  
 lo omnia absque operositate, & cum lenitatis man-  
 suetudinisque Spiritu operè.

*Carolus  
 Salesius  
 in vita  
 ejus L. 6.  
 pag. 270.*

SECUNDUS est, si propria necessitas ut infirmitas vel inevitabile impedimentum id exigat, quod est si occuperis in lavandis lineis, in mundanda suppellectili, in purganda domo, &c.

TERTIUS denique est, si parentibus vel domesticis Superioribus debita Obedientia reluctetur, aut Directoris tui Licentia & Consensus dispensetur.

*L. 1. de  
 Imit. c. 19  
 n. 3.*

Aliàs si ex contemptu vel acediâ Regulam tuam transgrediaris aut negligas pessimè feceris: „ Si pietatis causâ aut fraternæ utilitatis proposito quandoque consuetum omittitur Exercitium (habet Kem-  
 pensis) facilè postea poterit recuperari: si autem  
 tœdio animi aut negligentia facilliter relinquitur, satis

„fatis culpabile est & nocivum sentietur: conemur  
 „quantum possumus adhuc leviter deficiemus in  
 „multis. Horologium, ut bonum sit, nonquam  
 quiescat à motu, sonet suo tempore & horâ: tur-  
 batum est & delirat? jam usum non habet nec sine  
 molestia sibi restituitur: instar Horologii est Virgo,  
 quæ à divino servitio nonquam cesset, quæ suum Deo  
 affectum & amorem perpetuò prodat: at ritè pro-  
 gredietur? singula suo tempore & horâ fiant juxta  
 Regulæ præscriptum. Aliàs cessat à motu in Deum,  
 & hæret absque eo quod depressa animi pondera per  
 nova quotidie motiva denuo erigantur? Ab ordina-  
 ria revolutione aberrat per neglectum Exercitiorum,  
 quæ Regula eo tempore præscribit & requirit? Deo  
 invisus est & noxius tibi hic error.

## §. IV.

*De Confessione.*

**D**UM Tabernaculum erigeret Moyses, præscri- *Exod. 30:*  
 bit ei Dominus faciendum, quod & factum, La- 18.  
 brum æneum ponendumque inter Tabernaculum  
 „ Testimonii & Altare: „, & missâ, (inquiens) aquâ *vs. 19.*  
 „ lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus suas ac pe- *vs. 20.*  
 „ des, quando ingressuri sunt tabernaculum testi-  
 „ monii, & quando accessuri sunt ad altare, ut offe-  
 „ rant in eo thymiama, ne fortè moriantur, in cujus  
 locum ædificato jam Templo mare fusile substituit Sa- *3 Reg. 7.*  
 lomon: in quo, quod melioris hujus ædificii Archite-  
 ctus Dei filius in Ecclesia sua erexit, Sacramentum Pœ- *Vide Ri-*  
 nitentiæ figuratum Doctores statuunt, in quo Fide- *beram de*  
 les *Templo I.*  
*2. c. 17.*